

# CAPUT QUINTUM.

**V**IDIT Joannes in dextera Dei sedentis librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem; & nemo inventus est, nec in celo, nec in terra, nec subius terram, qui posset aperire librum, imò nec respicere illum: quem tandem aperit Agnus occisus, cujus rei gratia omnes cœlites Deo & Agno multas laudes decantant, ac ingenies referunt gratias.

*Apoc. 5. n. 1.* Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

## VERSIONES.

*Syrus, Tygur.* Vidi in dextera ejus, qui sedebat librum scriptum intus, & à tergo obfignatum.

*S. Hilar.* Vidi supra dexteram sedentis librum scriptum de intus & de foris, signatum signaculis septem.

*D. Cyprian.* Vidi in dextera Dei sedentis.

*Primasius.* Signatum signis septem.

## EXPOSITIO I.

**S**UPERIORI capite narravit Joannes magnum ac eximium apparatus supremi Principis sedentis in magnifico throno suo qui est Deus Pater, in cujus dextera admitabilis erat liber, hic autem liber, non erat similis nostris: Veteres enim, sicut & Hebræi scribebant in membranæ, sive pellibus, & communiter una tantum ex parte mundiorum nempe, & læviori, aliquando tamen & membranæ circa cylindrum convolvebantur, ex quo volumina sunt appellata. Liber autem hic juxta communioem, & probabiliorem sententiam, erat ipsemet liber Apocalypsis continens mysteria Apocalypsis, oculo nempe in præscientia, ac providentia Dei contenta circa Ecclesiam suam militantem, ac tandem de gloria Beatorum in triumphante. De quo multa in questionibus.

*Scriptum intus & foris:* seu ut alii legunt; à tergo: hoc autem non cognovit Joannes nisi postquam ipse liber fuit evolutus & apertus. *Signatum sigillis septem,* quibus membranæ

convolutæ illis appensis obfignabantur, & conclusa tenebantur. Septem autem sigilla sunt septem sequentes visiones à c. sequent. 6. quibus ad apertionem uniuersusque sigilli nova panditur calamitas orbi obventura, priusquam adveniat Antichristus, ac excidium totius universi. Unde liber non potuit legi, ac intelligi, nisi prius essent referata sigilla, seu calamitas, quæ ex divino decreto prævia sunt Antichristo, & excidio universi.

## QUÆSTIO I.

*Ponitur sententia affirmans hunc librum esse sacram Scripturam.*

**M**ulti, & gravissimi Auctores, ut Ticonius, D. Ambrosius, Rupertus, Richardus, Andreas, Beda, Haymo, Anselmus, Ansbertus, Joachimus, Hugo hic, Oti genes homil. 12. in Exod. Eusebius lib. 8. Demonst. cap. 2. & D. Hieron. in Isai. cap. 22. asseveranter tenent hunc librum esse sacram Scripturam.

At hæc sententia non subsistit, cum ea maxime pugnat illud quod dicitur infra n. 3. *Et nemo poterat, neque in celo, neque in terra aperire librum, neque respicere illum.* Quomodo hæc vera sunt respectu Moysis quoad libros, quos scripsit, & respectu Prophetarum, quoad ipsorum Prophetias, & respectu Apostolorum, ac Evangelistarum quoad Evangelia, ac ea quæ scripserunt? nam Prophetæ, ac canonici Scriptores intelligebant ea, quæ dicebant, ac scribebant juxta communem sententiam, ut dixi sup. à, c. 4. quæst. 4. n. 90.

Tamen per accommodationem hic liber est facta Scriptura, veteris & novi testamenti, & licet sit in multos libros digesta, singulari tamen numero dicitur liber, tum quia uno Spiritu inspirata est, tum propter summam cœcordiam novi & veteris testamenti. Et dicitur liber scriptus intus, ut inquit Ansbertus, & Beda quoad novam testamentum; foris, verò quoad vetus; nam vetus fuit velamen novi. Vel intus, ut ait Rupertus quoad sensum spiritualem, & mysticum; foris, quoad literalem. Intus, ut alii interpretantur,

Ticonius.  
D. Ambr.  
Rupert.  
Richard.  
Andreas.  
Beda.  
Anselm.

*Impugnatur prædicta sententia.*

Ansbert.  
Beda.

Rupert.

## QUÆSTIO II.

*Ponitur sententia affirmans, quod scriptura hujus libri esset Christus Dominus, ut Deus ac homo, ejusque opera ac merita, ejusque eximius amor in nos.*

**D**ivus Hilar. præfatione in Psalm. D. Paschal. lib. 1. in Matth. Haymon. hic D. Bernard. Petrus Dam. ac alii citandi tenent hunc librum esse Christum Dominum ejusque divina mysteria, tam divinitatis, quam humanitatis, tam generationis æternæ quam humanæ in eo recondita. Hæc tamen sententia quoad literam sustineri non potest: iterum hic esset Agnus cum libro, quem accepit, ac proinde accederet ad se ipsam accipiendum in dextera Dei sedentis in sede, quæ omnia ostendunt duo esse inter se diversa & distincta nempe librum & Agnum. Deinde, quomodo possunt verificari illa: *Nemo poterat respicere illum?* illum potuit respicere Mater, & matritius Ioseph, potuit Simeon, & Anna Prophetissa, & alii, ut Apostoli, & ante hos vidit illum Abrahamus, & exultavit.

Tamen per accommodationem hic liber est Christus Dominus. Et primò Christus est in universum materia totius Scripturæ, ad ipsum omnes Scripturæ tendunt, unde tota Scriptura est Christus qui de se dicebat Iudæis: *Scripturæ enim scripturæ, & hæc sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ioan. 5. n. 39. Et post resurrectionem suam, duobus discipulis: *Incipiens à Moysè & omnibus Prophetis veter. recitabat illis in omnibus scripturis, quæ de ipso & an.* Luc. 24. n. 27. Deinde, ut ait Haymo Christus est liber, in quo omnes prædestinati scripti sunt, juxta illud Ps. 138. n. 16. *In libro tuo omnes scribuntur.* Unde Christus, ait Viegas, de se tanquam de lib. loquens. Isai. 59. n. 16. *In manibus meis descripsi te.*

Hic liber est in dextera Dei Patris, quia ad dexteram Patris sedet Christus. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Psal. 109. n. 1. & Marc. 16. n. 19. scriptus est liber intus & foris: intus, per divinitatem; foris, per humanitatem.

*Liber est signatus sigillis septem:* Quæ sigilla sic explicat Petrus Damianus serm. de S. Luca Evang. sunt nempe septem Sacramenta, quibus totus ordo Dominicæ Passionis impletur, videlicet Incarnatio Domini, Nativitas, Passio, Resurrectio, Ascensio; deinde Iudicium, postremò Passio, D. Bernard. serm. 1. de Pasch sic explicat, septem sigilla, sunt septem mysteria, quæ celebrant Christi divinitatem & sapientiam. Primum est Matris desponsatio cum Ioseph. Secundum, infirmitas corporis Christi. Tertium, circumcisio. Quartum fuga in Ægyptum. Quintum tentatio Diaboli. Sextum, scandalum crucis. Septimum, sepultura.

Aliter D. Paschal. cir. lib. in Matth. explicat hæc sigilla, quæ sunt septem dona Spiritus S. quibus Christus Dominus obfignatus erat, quæ ipse aperuit, & solvit. Primum sigillum solvit, & aperuit nascendo, ostendens donum divinæ sapientiae; quæ conjunxit naturam humanam cum divina. Secundum, in baptismo solvit, &

prestantur, quia de invisibilibus ac supernis arcibus divinitatis multa docet. *Foris,* quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit. *Intus,* quia cœlestia pollicetur; *foris* verò quia terrena, & contemptibilia qualiter sint, vel in usu habenda, vel in desiderio fugienda præcipit.

Signatus est liber sigillis ob multiplicem illius obscuram, & difficilem intelligentiam; nam ut docent Primasius, Beda, & Joachimus, leprearius symbolum est multitudinis ac universalitatis: Scriptura sigillata est omni arcano, & speciatim sic multi explicant hæc sigilla: Primum est profunditas factæ Scripturæ; Secundum multiplicitas sensuum: Tertium varietas figurarum: Quartum incomprehensibilitas rerum ipsarum: Quintum obscuritas mysteriorum: Sextum suavitas tropologiarum: Septimum infallibilis veritas mixta, cum rerum invidentia.

6. *Scriptura a li- ber obfignatus & clausus.* Primas. Beda. Joachim.

7. *Deuter. 33.* *Deus scientiarum Dominus.* Richard. Psal. 35. *Scriptura lux, sed divino lumine perspicitur.* Prov. 6.

Philo.

Tertull.

Irenæus.

8. *Christus scripturarum interpres.* Luc. 24.

Hic liber erat in dextera Dei sedentis, quia, ut dicitur Deuter. 33. n. 2. *In dextera ejus ignea lex.* Et optime hic liber apparet in dextera Dei Patris, quia ut ait Richardus Victorinus: *Scripturam bene tenet, quia Deus servitium Domini, & quibus vult illam præbet.* Unde rectè ait Regius Vates Psal. 35. n. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Licet enim Scriptura lumen sit splendidissimum juxta illud Proverb. 6. num. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux:* tamen nisi aliud lumen divinitus à Deo immittatur, nunquam satis perspicitur. Humana enim intelligentia non valet divina mysteria penetrare ac illustrare. Unde præclare Philo Hebræus in lib. de præmiis & pœnis, loquens de Jacob, seu Israël, cui ad videndum Deum non nisi divinum lumen sufficiebat: *Solem, ait, hunc ut visibilem, non alia re, quam Sole ipso adjuti cernimus. Quid Scyllas: An non sola stellarum ope aspiciuntur? lucis aspectum nomine luci debemus? Ad eundem sane modum, etiam Deus per se ipsum illustrat sui notitiam, cooperante nemine, quod ea res excedant vires, omnium.* Ergo in divinis literis, ut egregiè ait Tertullian. lib. de anima. cap. 2. *Non amplius inveniri licet quam quod à Deo dicitur. Quod autem à Deo dicitur, totum est. Cui coheret D. Irenæus lib. 4. cap. 14. Deum scire nemo potest, nisi Deo docente.*

Tamen Æternus Pater nobis dedit divinum magistrum accommodatè ad nostrum ingenium, filium suum Jesum Christum in humana specie, qui nos erudit. Luc. 24. n. 45. *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* De quo ait ipse Æternus Pater Isai. 22. n. 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat: id est, ut exponit Interlin. scientiam scripturarum, ut illas omnes interpretetur, ad quem locum alludens noster D. Ioan. Apoc. 3. n. 7. *Hic dicit sanctus & verus, qui habet clavem David: hoc est, interprete Ruperto, ut ibi dixi, qui habet potestatem interpretandi scripturas, quæ licet olim multis veluti enigmatibus essent quodammodo absconditæ & involutæ, tamen, ut ait Ioan. 1. n. 18. *Unigenitus filius, quid est in sinu Patris ipse enarravit.* D. Irenæus lib. 4. cap. 27. *Ille enim, ait, visiones Prophetarum, & divisiones charismatum, & ministeria, sua, & Patris glorificationem, humano genitostendit.***

Sylveira in Apocalypsim. Tom.

9. D. Hilar. D. Pasch. Haymo. D. Bernard. Damian.

*Impugnatur prædicta sententia.*

10. *Christus hic liber.*

Ioan. 5.

Luc. 14. Haymo.

Isai. 49.

11.

Ps. 109.

Marc. 16.

12. Damian.

*Sigilla hujus libri.*

D. Bernard.

13. D. Pasch.

FF aperuit



Act. 4.

aperuit sigillum intelligentiae, ut agnosceremus quod factum & quod somus ex gratia Dei per Baptismum. Tertium sigillum consilii Divini aperuit in passione, quod ita decrevit, & ordinavit de filio suo Iesu. Act. 4. num. 28. Quartum sigillum, seu donum fortitudinis aperuit, dum sepultus descendit ad inferos, & vincens alligavit fortem, & arma & spolia eius abstulit. Quintum sigillum scientiae aperuit resurgens, quia scire nos fecit, quod ipse resurgendo nos resurgere facit. Sextum sigillum pietatis ascendens in caelum aperuit, dum nobis ostendit Sacramentum reconciliationis cum Patre. Septimum sigillum, spiritum scilicet timoris aperuit in iudicio finali; & ideo dum vivimus sub spiritu metus, ac timoris versamur.

Tandem Seraphinus Firmianus Canonice Regular: Lateranens. Commentar. in Apocalyp. hunc librum Passionem Christi interpretatur, & ait: Hic liber nempe Christus passus, fuit apertus & extensus in cruce, ut in eo omnes virtutum maximarum exempla perlegerent; liber est scriptus *intus & foris*, quantum ad passiones corporis; *intus*, quantum ad passiones animae secundum portionem inferiorem; cum ipse ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et hic liber signatus est sigillis septem. Primum summa impotentia in omnipotente; Secundum summa poena in impassibili; Tertium, summa stulticia coram hominibus in eo, qui est sapientia Patris; Quartum summa paupertas in Deo divitiarum, in quo sunt omnes thesauri; Quintum summa ignominia in summa maiestate; Sextum, summa derelictio Dei in summa cum eo unione; Septimum summa severitas in summo amore Patris erga filium.

Christus in sua passione maximè amor scriptus in libro.

Divinus Christi amor scriptus in libro.

Efficitur amoris absconditi non possunt.

16.

Et ait Evangelista, *vidi librum*, unum nempe librum qui parvus & manualis erat, & apparebat in manu sedentis, in eoque scripta erant Christi opera, eisque divini amoris monumenta. At ipsemet loquens in ultimis verbis sui Evangelii de Christi factis ait, quod si omnia scriberentur, minime totus orbis libros capere posset. *Qua si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mandatum capere posse eos, qui scribendi sunt libros;* Ioan. 21. num. 25. Quomodo ergo Ioannes nunc omnia illa exiguo libro literis mandata vidit? Excellentissima Christi opera, si ab acamine intellectus unius sublimis Aquila considerentur, si ab alto Evangelico iudicio contemplantur, ac tam magna sunt, ut in libris conscripta orbem excedant, & ab ipso capi non valeant: At ipsamet opera perpena, & conscripta ab amore, et cum ipso conferantur, a deo recapitulata, & breviter reperiuntur, ut in parvo ac manuali libro scripta appareant, quod enim

Qua intell. dei magna iudicant, amor in parvo apperit.

ab acuto intellectu valde magnum, & amplum iudicatur, vehementer amoris affectu exiguum, & breve reputatur.

Ait Evangelista; *Nemo poterat neque in caelo, neque in terra aperire librum, nec respicere illum.* Nullus erat neque in caelo, neque in terra qui posset oculos levare, & librum aspicere; hoc videtur involvere manifestam repugnationem, nam ipse Evangelista de se ait: *Vidi librum.* Quomodo ergo asserit quod neque in caelo, neque in terra inveniebatur, qui posset videre librum? Deinde quatuor animalia viginti quatuor seniores, ut manifestè patet ex textu, viderunt librum quo ergo fundamento adstruitur, quod nemo poterat videre librum? Quatuor animalia significant quatuor Evangelistas; Viginti quatuor seniores, ut inquit D. Hieron. de Hieron.

17.

notant Ecclesiasticos, Magistros ac scriptores Canonicos, Prophetas, Apostolos Doctores ac Praedicatores. Hi omnes divini amoris librum viderunt, de quoque multi scriperunt, ac praedicaverunt. Cur ergo dicitur quod nemo poterat neque in caelo, neque in terra respicere librum D. Paschal lib. in Matth. in Praefation. Profetia D. Pasch.

*Nullus nec in caelo nec in terra videret secreta divini amoris penetrare.* Et ait Evangelista, *Vidi librum signatum sigillis septem.* Hic liber maxime sigillatus ac clausus apparebat, & tamen apud Daniele 7. n. 10. dicitur, *iudicium sedis & libri aperti sunt.* In Daniele libri aperti, ac patentes apparent, at modò in Apocalypsi, unus liber involvitur, ac clauditur multis sigillis ac involucris; Libri apud Daniele de creatione, providentia ac gubernatione mundi extabant; Ac in Apocalypsi libri materia suppeditabat amor; quae autè sapientiae ac providentiae sunt manifestari ac declarari possunt, at verò amoris secretata sigillata ac abscondita existunt, ut minime penetrari ac investigari valeant.

D. Hieron.

Nullus nec in caelo nec in terra videret secreta divini amoris penetrare.

18.

Dea. 7.

De Christo Domino, ait Isaias 45. n. 1. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Quomodo quando ipsum dicit Deum salvatorem appellat eum Deum absconditum, nam ipse operatus est salutem in medio terrae, de ipsaque sapientia Incarnata ait Salomon. Prov. 1. n. 20. *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam, seu ut legit ultima verba Syrus; Exaltat vocem suam. Quod explicat Salomus; Sapientia id est Christus, praedicat in plateis, id est in latitudine orbis; genti umque omnium.* Si est Deus absconditus, quomodo sic in locis publicis, in plateis nempe, ac in exitu viarum clamat, & exaltat vocem? Perpende, *Deus absconditus salvator noster.* In rebus nempe sui eximii amoris ac charitatis, quibus est operatus nostram salutem. Deus absconditus est; in doctrina docuimus mentis suae sapientiae, quibus revelat superna mysteria,

19.

Isai. 45.

Prov. 5.

Syrus.

Salon.

Qui sunt amoris, absconduntur; quae vero scientia, manifestantur.

Amoris sigilla.

mysteria, nosque instruit ac dirigit in viam salutis, sic Deus manifestus, ut in plateis, ac locis patentibus; et si monumenta amoris maxime recondita sint quae verò sapientiae valde praevalia, & cunctis manifesta.

De quo etiam egi tom. 5. in Evangel. lib. 7. cap. 5. quæst. 30. n. 187. 188. ubi satis explicavi numero 10. quod septem sunt sigilla Divini amoris; primum, ad Patrem; secundum, ad Divinam sapientiam; tertium, ad Divinum amorem, quartum sigillum ad Divinam infinitatem, quintum, ad Divinam omnipotentiam; sextum, ad Divinam fortitudinem, septimum, ad immortalitatem.

QUÆSTIO III.

Ponitur sententia affirmans, quod Christus in Eucharistia sit liber signatus sigillis septem.

21. D. Bern.

Graves sunt Auctores, ut D. Bernardin. in quodam serm. de sacra Eucharistia, qui hunc librum per accommodationem dicit esse Christum in sacra Eucharistia, & benedicitur liber, quia in eo divina mysteria leguntur, nullibi enim clariùs apparet, quantum divina maiestas hominem dilexerit; nullibi ferè divini amoris inventiones magis elucet, quam in hoc mysterio; & inde merito Christus dicitur liber in hoc Sacramento, quem nullus potest neque aperire, neque legere nisi ipse, quia nullus hominum, nec etiam Angelorum perfectè scit rationem huius Sacramenti, nisi ipse Christus, nullusque aperire potest magnitudinem amoris, quo illud instituit, nullusque explicare valet quot & quanta sint dona, quae nobis sub hoc Sacramento communicantur: nisi tantum Christus Dominus, & qui ab ejus lumine fuerit illustratus.

Liber iste Christus in Eucharistia.

22. Septem sensus falluntur erga Christum in Eucharistia.

In hoc ergo Sacramento Christus passus, & occisus velatur, & celatur septem sigillis, ut de eo verè dici possit illud Isai 45. n. 1. *Vere tu es Deus absconditus.* Septem sigilla, quae Christum abscondunt in Eucharistia sunt odor, sapor, color, parvitas, levitas, rotunditas, gracilitas Hostiae, quae omnia sunt accidentia panis, non corporis Christi. Et ita septem sensus scilicet quatuor exteriores, visus, odoratus, gustus, & tactus, & tres interiores scilicet sensus communis, phantasia, & aestimativa, quae sensuum exteriorum iudicium sequuntur, falluntur, judicent esse panem, cum revera ibi nihil sit panis.

Septem hæc sigilla sunt septem miracula, quae efficiunt hoc Sacramentum atcanum arcanorum. Primum est transubstantiatio, quae scilicet tota substantia panis, & vini convertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi, Secundum quod accidentia panis, & vini remaneant sine subiecto. Tertium, quod tota quantitas corporis Christi octo palmorum, parvo loco scilicet hostiae circulo circumscribatur, Quartum, quod ex vi consecrationis sub specie panis, sic totum caro Christi, per concomitantiam verò adsint sanguis, anima, & Deitas Christi, Quintum existentia ejusdem Christi simul in Sphæra in Apocalypsim. Tom. I.

pluribus hostiis per totum mundum; Sextum, quod Christus sit totus in tota hostia, & totus in qualibet ejus parte; Septimum, immutabilitas, & incorruptio carnis Dominicæ mutatis & corruptis, sive etiam fractis hostiis, & in frustra concisus. Sicut, ut alii numerant, & innumerabilem refectio eodem cibo non consumpro.

Hic liber alludit ad illum de quo Ezech. 2. n. 9. *Qui erat scriptus intus & foris;* quem etiam Nav. l. 5. sacra elect. n. 351. Eucharistia sacra accommodat: quomodo ergo in eo inveniuntur scriptæ lamentationes, carmina, & va? An va, & lamentationes possunt esse in eo, in quo est pinus vitæ aeternæ, & à quo bona cuncta manant? Quomodo va in eo, cum omnis amaritudo Eucharistico melle conditur, suavisque efficiantur? Va quidem & lamentationes sed indignè sumentibus; sed dignis convivis offerunt carnem, melos, & omne delectamentum cum omni suavitate: Sanct. Laurent. Justinian. de triumpho Christi agone, c. 4. *Una Petrus, & Judas caelesti pascuntur alimento, aliter tamen nam ad meritum, & profectum Petrus; Produitur verò manducans ad ruinam, atque interitum: pro sumentium dispositione cibis hic dispares etiam operatur effectus, quem enim reperit iustum, & mundum, amplius mundat, atque sanctificat; quem autem sordescit inveniit, & immundum, deteriore facit, quoniam sancta & immaculata iniquitatibus palliuntur praesumpsi sumere sacramenta.*

24. Ezech. 2. Navar.

Eucharistia vita bonis; mors malis.

Laut. Iust.

Dominum obsecrat Regius Vates, ut à se impios & sceleratos removeat & abiciat: *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.* Pl. 5. n. 11. *Pro irritaverunt legit D. Aug. Incarnaverunt.* Sed quomodo fons totius dulcedinis ac suavitatis amaritudine ac felle repletus inveniuntur? Si mors omnium amarorum amarissima ab hoc fonte expellitur, ac in eo omnis tenera dulcedo degustatur, quomodo ibi aspera, & dura amaritudo, ut ipse Deus suavissimus, de quo dicebat anima sancta: *Mel & lac sub lingua mea.* Cant. 4. numero 11. Si tam dulcis, ut Angelos, & sanctos inebriet, ac totum mundum dulcore suo impleta, quomodo amarus est, in amarica-verunt te Domine? Talis est divinus panis, animæ sanctæ ac piæ dulcis & suavis ut mel, iniquis ac peccatoribus fel & absinthium. Divus Augustinus: *Peccatoribus panis veritatis amarus est, ipsi amaricarunt Deum; qui peccando in eam amaritudinem devenerunt: ut cibo veritatis, quo sane anima gaudent, tanquam fel sustinere non possunt.*

25. Plalm 5. D. Aug.

Cant. 4.

Eucharistia dulcis iustis amara peccatoribus. D. Augusti.

Sacratissima Virgo se comparat Cypresso, & Palmae, de se enim ait, *Quasi Cypressus in monte Sion, & quasi Palma exaltata sum in Cades,* Eccles. 24. num. 18. Quænam hæc combinatio Palmae, & Cypressi? Utraque valde disparè proferunt fructum: illa durum & asperum hæc lenem & facilem, illa amarum & rigidum, hæc dulcem & desiderabilem; cur ergo a virgibus tam disparibus sacratissima Virgo confertur? ipsa enim protulit fructum suavem piis & iustis, durum & amarum peccatoribus, & ideo ait: *Quasi Cypressus in Sion, & Palma in Cades.* Sion ali-quando significat multitudinem peccatorum: In convertendo Dominus captivitatem Sion. Pl. 125. n. 1. Cades verò interpretatur sanctitas: Fructus Virginis Mariæ iniquis, & peccatoribus est Cypressus.

26.

Eccles. 24.

Fructus Eucharistia valde diversitate subiectorum